


CHRIS[illegible] Autor,
[illegible]rum,
Dum [illegible] eius esto
[illegible] liber!



Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod iis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio VI.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE CHRISTI STATIBUS EXINANITIONIS ET Exaltationis.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ,
SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

NICOLAO CUDERO,
Parys. Prusso.

Publicè in Auditorio majori August. habenda.

REGIOMONTI,
Typis Laurentii Segebadii, Anno 1624.

VIRIS

Prudentißimo, spectatißimis, præstantißimis,

Dn. LAURENTIO WITPAHL Reip. palæopolitanæ apud Regiomontanos Scabino laudatissimo.

Dn. ISRAELI HOPPIO Patritio Elbingensi primario.

Reverendis & doctißimis,

Dn. PAULO GERLACHIO, in Ditteredorff.

Dn. THOMÆ KYSÆO, in Galingen pastoribus Ecclesiæ fidelissimis.

Dominis & fautoribus suis summißè colendis

Hanc disputationem Theologicam inscribit

NICOLAUS CUDERUS P.

Disputatio VI.

De Christi Statibus, Exinanitionis, & Exaltationis.

Respondente Nicolao Cudero Pr.



Um status Exinanitionis, & Exaltationis Christi sit iter & medium ad officium ipsius exequendum; necessitas efflagitat, ut post Christi officia, de Statibus ejusdem agamus, secuti hac in parte filum, & stilum libelli nostri.

I. De Sede Huius doctrinæ.

1. Indicatum jam suprà *Disputat.* IV. à nobis fuerat: undenam, & ex quoto loco A. C. Locus de Christi personâ ejusq; officio sit desumtus. Ubi ex verbis *Tertii articuli* recitatis haud obscurè status Christi *geminus* eruitur, utut

 toti-

cotidem verbis non exprimatur. *Exinanitionis* quidem comprehenditur sub hisce: *Vnus Christus verè Deus, & verè homo natus ex virgine Maria, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus &c.* *Exaltationis* v. sequentibus exprimitur: *Idem descendit ad inferos, & verè resurrexit tertiâ die, deinde ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dexteram Patris, & perpetuò regnet, & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu S. qui regat, consoletur, ac vivificet eos, ac defendat adversus diabolum & vim peccati. Idem Christus palàm est rediturus, ut judicet vivos & mortuos &c.*

2. Eadem sententia proposita extat in *prima parte articulorum Smalcaldicorum, artic.* IV. ubi *uterq;* status, quoad rem ipsam optimè describitur: *Exinanitionis*, mentione *conceptionis, nativitatis, paßionis, mortis & sepulturæ Christi*: *Exaltationis*, mentione factâ *descensus ad inferna, resurrectionis à mortuis, ascensionis ad cœlos, seßionis ad dexteram* DEI, *adventus ad judicium vivorum & mortuorum.*

II. De Summa Huius doctrinæ, prout in libello nostro proponitur.

3. Pag. antepenultimâ §. *Quanquam autem*, *Geminus* Christi status describitur: *Primò, Exinanitionis*: Ubi asseritur 1. Christum dona quidem infinita & verè divina statim ab initio hyposta-

tica

ticæ cum Deitate unionis accepisse: 2. ast acceptam illam divinam potentiam in humana sua natura *usurpasse* (non *semper*, *sed*) *quando*, *ubi*, *quoties & quomodo ipsi placuit*: 3. ad tempus sese *exinanivisse* propter nos, & habitu reperiri voluisse instar vulgaris alicujus hominis Phil. 2. v. 7. idq; non ex aliquo defectu, & impotentia, sed per intermissionem spontaneam usurpationis plenariæ, ac exercitii.

Deinde Exaltationis: Ubi asseritur, Christum plenarium usum donorum increatorum ac infinitorum secundum humanam naturam à λόγῳ communicatorum & collatorum, post mortem & passionem suam demùm exeruisse.

4. Quæ assertio probatur: *Primò* dictis scripturæ Rom. 1. v. 4. Matth. 28. v. 18. Dan. 7. v. 14. Ephes. 1. v. 20. 21. 22 23. c. 4. v. 9. 10. 11. 1. Pet. 3. v. 18. 19. 22. Hebr. 7. v. 26. 1. Cor. 15. v. 24. 25. *Postmodùm* sententiis *Patrum*, utpote *Athanasii*, *Basilii*, *Emisseni*, *Augustini*, *Cyrilli*, simulq; iis evincitur 1. Christo secundum *humanam* naturam dona illa increata esse collata; 2. collationem illam factam fuisse *in tempore*; 3. humanam naturam in Christo collatione illâ donorum esse *in meliorem statum evectam*; 4. *Deitatem* λόγε in tempore nil majestatis divinæ accepisse, neq; quicquam tamen diminutionis celsitudinis suæ, ab imbecillitate carnis perpessam fuisse.

5. Status Christi considerandi veniunt *vel in genere*, *vel in specie*.

6. In *genere* sciendum, *duos* esse Christi *status*; nim. 1. *Exinanitionis*. 2. *Exaltationis*: Quidam superaddunt *Tertium*, statum Exaltationis in duos dispescentes, vid. 1. *Glorificationis*, & 2. *Majestatis*: sed non sunt multiplicanda entia præter necessitatem; siquidem Glorificatio & Majestas non constituunt diversos gradus exaltationis; sed solùmmodo ejusdem gradus diversos *respectus*; ita ut *Glorificationis* dicatur, ratione *infirmitatum depositarum*, & translationis in conditionem corporum glorificatorum: *Majestatis* v. ratione *evectionis* & collocationis *ad dexteram Dei*, per gloriosam ascensionem supra omnes cœlos.

7. De Statibus Christi *in genere* teneantur *Maximæ*: 1. *Vterque status est diversum ac realiter distinctum quid, a naturalibus proprietatibus, & officio Christi.*

A *proprietatibus* quidem tùm ex parte divinæ tùm humanæ naturæ in Christo. Neque n. h[...] possunt dici vel *exinanitio*, vel *exaltatio* præcis[e] ac propriè; sicuti conditio hominis alicujus no[n] est ipse homo, aut proprietates ejusdem, sed h[o]minis certa circumstantia, vel adjunctum, aut adjacens. *Ab officio* v. uterq; n. status est qua[si]

iter & medium ad officium exequendum, uti suprà dictum ab initio. Ergò non erit ipsum officium, id quod magis ex sequenti theoremate dilucidius constabit.

2. *Vterq; Status competit Christo secundum humanam naturam, & quidem tantùm; non verò secundum divinam.*

Ratio. Nam uti exinanitio, ita exaltatio in Deitatem cadere nequit; quia utrinq; præsupponitur mutabilitas, vel in pejus, vel in melius; utiq; etiam superius principium huius mutationis: Hinc resultat simul contingentia, ac expirat summa necessitas, ac independentia *subjecti humiliandi & exaltandi.* Quæ omnia de Deitate absurda vel cogitatu, nedum dictu. Ac proinde status uterq; ad Christi humanam naturam restringendus erit, quippe principium creatum, dependens, contingens, & mutationi obnoxium.

8. Ubi tamen negari nullo modo potest aut debet, Christum esse exinanitum & exaltatum ut *personam*, ita dictitante Spiritu S. *Phil.* 2. *v.* 5. 11. ideo tamen non erit progrediendum ad utramq; naturam, sed subsistendum erit in *humana.* Quare distinguendum est inter subjectum *Quod*, quale est *totus Christus* θεάνθρωπος, & subjectum *Quo*, quale non est *totum Christi* vel *utraq; natura*, sed *tantùm alterutra*, & quidem mutationis capax, h. e. *humana natura*, quæ exinaniri & exaltari potuit.

9. Unde priori theorematì robur validum accedit, ubi dicebamus, Statum Christi utrumq; differre à naturalibus proprietatibus, & officio Christi. Nam 1. proprietatum utriusq; naturæ in Christo datur communio: quis v. vel fando audivit communicatum esse statum exinanitionis & exaltationis? 2. Status uterq; competit Christo *secundum humanam naturam tantùm*: omne a. officium competit Christo secundum utramq; naturam.

3. *Vterq; status attulit Christo secundum humanam naturam veram ac realem mutationem*. *Exinanitionis* quidem formæ Dei *evacuationem*, vel usus plenarii potentiæ & virtutis divinæ, ac operationis retractionem, & inhibitionem; *servili* formæ *assumtionem*, & deniq; extremam *humiliationem* in perpessione mortis cum summis doloribus *Phil.* 2.v.6. 7. 8. *Exaltationis* v. transferendo Christum ex conditione servili in gloriam cœlestem, ibid. v. 9. 10. 11. Luc. 24. v. 26. Psal 110. v. ult. Qua de re uberius in sequentibus, in cujusvis status consideratione speciali.

De Statu Exinanitionis.

10. Status Christi Exinanitionis occurrit apud Theologos in significatione aliquando *impropria*, interdum in *propria*.

11. Significatio *impropria* est *quadruplex* ferm

12. Prim

12. *Primò* capitur pro *abolitione* alicuius naturæ. De hac B. *Hieronymus ad Damaſ. in Symboli explicat.* ſic ſcribit inter alia: *Non exinanita* (h. e. abolita) *eſt humanitatis ſubſtantia*: quæ Exinanitio ab inſtituto præſenti eſt longè aliena, uti per ſe planum.

Secundò capitur pro miſerationis *inclinatione*, quâ filius Dei motus naturam humanam aſſumſit, & homo factus eſt; vocatur aliàs, *ineffabilis* Dei *humiliatio* & obedientia. Talis acceptio frequentiſſimè apud *Patres* occurrit; nec etiam eſt huius loci.

Tertiò pro exinanitione *relativa* tantùm, quando Deus ab hominibus non agnoſcitur nec colitur: nec hæc ſignificatio huc ſpectat.

Quartò pro *incarnatione*, quâ λόγος dicitur humanitatem in hypoſtaſin Deitatis ſuæ aſſumſiſſe, atq; ita per diſpenſationem nobis condeſcendiſſe. Verùm iſta quoq; acceptio hinc removetur ob ſequentes rationes: 1. *quia* per exinanitionem debemus, ac jubemur Chriſto eſſe ſimiles Phil. 2. v. 5. Tales a. nos fieri poſſe per incarnationem, abſurdum. 2. *quia* exinanitio debet applicari ad humilitatis Chriſtianæ exercitium. Aſt v. huc facere nequit incarnatio. 3. *quia* Exinanitio erat actus tranſitorius, ac certo tempore deſiit: non item incarnatio: rectè n. etiamnum filius Dei dicitur incarnatus; perperam autem exinanitus. 4. *quia* exaltatio eſt præmium non incarnationis, ſed exinanitionis, locis paulò antè allegatis.

13. *Propria* ac huius loci est, de qua *Phil.* 2. à v. 5. ad 9. disserit Spiritus S. ex professo, indeq; *definiri* potest Status *Exinanitionis*, vel *Exinanitio*, quod sit *Iesu Christi secundum humanam naturam, in forma servili, humilis obedientia, sive subjectio ad mortem usq; crucis.* vel *sic*: *Status Exinanitionis est, quo Christus secundum humanam naturam suam, assumtâ servi formâ, augustam Dei majestatem ad tempus abdicavit, ut pati & mori posset, obedientiâq; suâ nostram contumaciam expiaret.*

Notentur *Theoremata*: 1. *Ad Exinanitionem pertinet tota historia Evangelica de Christo à nativitate, usq; ad sepulturam ipsius inclusivè.*

Novem possunt recenseri *Exinanitionis* Christi *actus*: I. *Conceptionis* nempe in uteri claustris B. Virginis peractæ: ubi notandum, quod in actu conceptionis & *maiestas* concurrerit & *humiliatio*: *illa* ex parte 1. Spiritus S. ceu *efficientis*, non per semen, sed per creationem: 2. *materiæ* vel seminis virginei, à Spiritu S. fœcundati & sanctificati, citra commixtionem virilis: 3. *formæ*, quippe in conceptione hac planè miraculosa natura Christi humana in momento facta est, & *perfecta*, idipsum Spiritu S. operante citra successionem & moram. 4. *finis & effectus*, quod mundet & tegat impuram nostram conceptionem. Siquidem in conceptione promicuit prima pars obedientiæ Christi opposita primæ parti inobedientiæ Adami, ac nostræ, quoad peccatum originale. *Humiliatio* v. ex parte Christi concepti, in certa B. Mariæ alvi capacitate.

II. *Gesta-*

II. *Gestationis* in utero B. Virginis spacio 9. mensium.

III. *Nativitatis*, utpote 1. per genitalia Virginis; 2. nudo corpore, & 3. in stupendâ, & abjectissima paupertate.

IV. *Circumcisionis* octavo die cum insigni dolore, & αἱματεκχυσία conjunctæ.

V. *Educationis* in obscuritate, miseria & penuria. Huc pertinet *fuga* Christi in Ægyptum, *commoratio* in Nazareth Matth. 2. v. 13.14.21.22. 23. *subjectio* parentibus Luc. 2. v. 51. *profectus* in sapientia & ætate ibid. v. 52. Ubi memorabile est quod *Marcus* c. 6. v. 3. refert, Christum artem mæchanicam addidicisse, nempe fabrilem, à Josepho fabro Matt. 13. v. 54. 55. eandemq; exercuisse victus parandi gratiâ, interprete *Justino*.

VI. *Tentationis* in deserto post ritum baptismatis peractum Matt. 4. v. 1. usq; ad 12.

VII. *Conversationis* tempore ministerii sui peracti cum homuncionibus contemtissimis & vilissimis, cum peccatoribus & publicanis *Matt.* 9. v. 10. 11. 12. Luc. 15. v. 12. & obambulationis sine lare, sine foco *Matt.* 8. v. 20.

IIX. *Passionis* illius *magnæ*, & *extremæ*, post cœnæ sacræ institutionem, *partim* in horto *Matt.* 26. v. 27. Luc. 22. v. 44. *partim* in urbe, dùm erat deductus ad judicium Ecclesiasticum & Politicum, utrobiq; miserrimè exceptus & tractatus; *partim* extra urbem, ubi crucem suam bajulare coactus, aceto myrrhatico potionatus; cruci

nudus

nudus affixus, manibus & pedibus perforatis; medius inter latrones duos crucifixus; à Deo desertus; tandem spiritum magnâ cum voce emisit, sicq; mortuus est Matt. 26. & 27.

IX. *Sepulturæ triduanæ* in monumento petræo, ostio ejusdem obserato & designato *Matt.* 27. v. 59. 64. 65. 66.

2. *Christi exinanitio includit integram obedientiam, quam Patri suo tàm sanctè vivendo, quàm innocenter moriendo, pro nobis præstitit, juxta divinam legem.*

Debebat quippe Christus contumaciam, superbiam, ac inobedientiam primorum nostrorum parentum expiare, pœnamq; peccati; ideò voluit esse obediens patri suo cœlesti usque ad mortem, mortem a. crucis; cuius dùm meminit Apostolus *Phil.* 2. v. 8. non excludit ea, quæ per totam vitam Christus juxta voluntatem patris executus est, sed hoc solummodo innuit, *obedientiam Christi*, quam ille in omnibus patri suo probavit, inprimis *in paßione, & morte crucis eluxisse*, in eaq; consummatam fuisse.

3. *Exinanitio Christi tribus gradibus fuit absoluta* 1. *formæ* Dei *evacuatione*, 2. *formæ servilis assumtione, &* 3. *extrema humiliatione.*

Omnes hi gradus proponuntur ab Apostolo *Phil.* 2. *v.* 7. & 8. 1. Christus seipsum ἐκένωσεν evacuavit, vel inanivit (existens in forma Dei v. 6.) 2. Christus formam servi assumsit. 3. Christus seipsum humilem præbuit usq; ad mortem crucis.

crucis. Singulæ propositiones breviter sunt expendendæ.

14. De Prima. 1. *Evacuatio seu inanitio opponitur* τῷ εἶναι ἶσα θεῷ apud Apost. d. l. *esse æqualia* Deo, h. e. æqualiter sese gerere ut Deum in imperio & majestate, ut sensus sit: Christum noluisse in assumta sua humanitate sese sic ostentare, ut hominibus appareret, quod esset æqualis Deo; sed divinam suam virtutem in carne retraxisse, hocq; pacto se evacuasse.

2. *Evacuatio formæ* Dei, *non denotat vacuitatem, privationem, vel absentiam plenitudinis* Deitatis *seu potentiæ divinæ ac virtutis* Col. 2. v. 9. Joh. 1. v. 16. c. 2. v. 11. 2. Pet 1. v. 17. 18. *sed retractionis usus, & operationis plenariæ, non quidem in omnibus creaturis absolutè; sed restrictè, & singulariter in assumta humanitate.* Filius namq; Dei homo factus in carne sua retraxit usum divinæ potentiæ & gloriæ, ut non appareret Deus gloriosus; sed homo vilis & abjectus. Possidebat homo Christus à primo conceptionis momento, uti hypostasin, & naturam; ita omnem majestatem & gloriam λόγου seu filii Dei; adeò, ut à primo conceptionis momento in utero B. Virginis sese gloriosum gerere potuisset; sed noluit contra suam vocationem, & Dei voluntatem, ipsumq; redemtionis mysterium. Potius igitur se exinanivit, suspensâ usurpatione majestatis suæ in carne, & per eam; eaq; retractâ & occultatâ. *Breviter: Evacuatio non sustulit majestatis, & gloriæ*

commu-

communicatæ κτῆσιν *vel possessionem, sed* χρῆσιν *seu usurpationem.*

3. *Evacuatio non sustulit omnem usurpationem Christi majestatis, sed plenariam, continuam, & incessantem apud omnes creaturas, in cœlo & in terra, secundum humanam naturam.* Quod namq; *particularem* attinet, extra dubium est, Christum secundum humanam naturam eam sæpiùs exeruisse, manifestando gloriam & majestatem suam; *quando, ubi, quoties, & quomodo ipsi placuit* (opusque vocationis suæ, ac imprimis redemtionis efflagitabat) *uti libellus noster loquitur.* Ita legimus; Christum sæpiùs miracula patrasse; rerum formas *mutando* Joh. 2. v. 11. infirmos *sanando*; mortuos *resuscitando*; Diabolos *fugando*; pectora & cogitationes hominum *introspiciendo*, eorum voluntates *flectendo*, unde etiam adoratus est à plurimis secundum utramq; naturam. *Nullibi* a. legimus, Christum à primo conceptionis momento *plenariè, continuè,* ac *incessanter,* insuper *secundum humanam naturam in cœlo & in terra omnia potenter gubernasse, rexisse, ac sustentasse.* Quod *Ecclesiam* attinet, confitemur, Christum in ea & circa eam regendam, *dominium suum Gratiæ semper exeruisse*, vigore promissionis suæ *Matt.* 18. v. 28.

15. *De Secunda* 1. *Forma servi opponitur tùm formæ* Dei, *tùm regiæ dignitati*: non enim se gessit aut ostentavit, ut ceu Deus ac rex gloriosus appareret.

2. *Forma servi licet naturæ humanæ veritatem*

præsupponat, *ficuti forma* Dei *veram deitatem: non tamen est ipsa natura humana; sed species, qualitas, status, & conditio servilis*. Nam formam servi Christus deposuit; at v. naturam humanam nunquam deposuit, nec in æternum deponet. E. hæc non est idem, quod illa. Vide plures rationes apud Dn. *Menzer. in Anti-Martin.* disp. 7. th. 36. 37. usq; ad 41. & posteà th. 75. 76. usq; ad 81.

3. *Forma servi Christi consistebat* 1. *in similitudine hominum* quoad omnes corporis infirmitates 2. *in figura* seu habitu hominum quoad communem conversationem, & convictum familiarem, ubi omnia erant servilia & abjecta Phil. 2. v. 7. Usq; ad baptismi susceptionem adeoq; annum Christi 30. Ante illud namq; tempus nil conspiciebatur singulare habuisse præ reliquis vulgaribus hominibus; posteà v. officium suum exequendo, subinde miraculis resplendescere cœpit; quæ veluti radii quidam particulares erant, quibus Christus deitatem suam manifestabat.

16. De *Tertia* 1. *Extremâ humiliatione Christus infra omnes omninò homines, angelos, & creaturas sese deijciens, legiq; pro nobis subjectus, obediens est factus usq; ad mortem crucis ignominiosissimam Phil.* 2. v. 8.

2. *Ad extremam igitur humiliationem pertinet paßio illa magna & extrema post cœnæ sacræ institutionem*, in 1. *horto*, 2. *urbe*, 3. *extra urbem*, nec non *perpeßio mortis* cum summis doloribus & ignominia conjunctæ, in sanctissimo Christi corpore.

De

DE STATU EXAL-
tationis.

17. Uti *Exinanitio*, ita *Exaltatio* capitur à Theologis modò *impropriè*, modò *propriè*.

18. *Impropriè* pro Exaltatione *relativa*, χετικῇ, quâ Christus à creaturis, imprimis rationalibus exaltatur, & glorificatur: quæ significatio à præsenti negotio removetur, *quia* 1. toti SS. Trinitati competit, non soli Christo; at de qua nos loquimur, exaltatio soli Christo adscribitur, *Phil.* 2. v. 8. 2. *quia* Exaltatio, de qua agimus, habet oppositam exinanitionem; *impropria* secus. 3. *quia* Exaltatio præsens est *semel* tantùm peracta; *impropriâ* v. exaltatione Christus *semper* exaltatur, præsertim in Ecclesia. 4. *quia* præsens non fuit in statu Exinanitionis Joh. 7. v. 39. sed eundem subsecuta est; *impropria* v. fuit in medio Exinanitionis statu Matt. 21. v. 9. 5. *quia relativa* vel *impropria* fit à creaturis, propria v. huius loc *à solo* Deo, Eph. 1. v. 19. Phil. 2. v. 8. 6. *quia propri* est Exinanitionis *præmium*; *impropria* non item 7 *quia propria* realem importavit Christo mutatio nem, translationem videl. ex statu ignomini in statum gloriæ; secus *impropria* vel relativa 8 *quia propria* competit Christo secundum huma nam naturam tantùm; *relativa* v. vel *impropri* secundum *utramq;*, adeoq; etiam secundum de tatem.

19. *Propriè* dum capitur, *dupliciter* intellig

tur

tur: 1. *originaliter*, & sic exaltatio carnis Christi facta dicitur in ipso conceptionis momento, per unionem hypostaticam, & assumtionem in hypostasin filii Dei. 2. *consequenter*, per sessionem ad dexteram Dei, de qua h. l. ex professo: ac sic *describi* solet: *Exaltatio est solennis inthronisatio atq; inauguratio Christi ex mortuis resuscitati, ad perfectam, & plenam cœlestis imperii usurpationem, & gubernationem cœli & terræ, ac inprimis Ecclesiæ.* Vel *sic: Status Exaltationis est, in quo Christus de hostibus devictis triumphans evectus est ad summam gloriam, ut nos in ipso exaltaremur.*

20. Notentur *Theoremata*: 1. *Exaltatio opponitur evacuationi in toto suo ambitu.*

Etenim sustulit in Christo secundum humanam naturam 1. *occultationem gloriæ*, 2. *servilem formam*, 3. *similitudinem* & habitum hominum infirmiorum, egenorum, pauperum, ignominiam mortis; nec non omnem imbecillitatem. *Et contra*, posuit imperium plenum, dominium, gloriam & honorem, virtutem, adeoq; divinæ majestatis plenarium usum, & exercitium *Phil.* 2. v. 8. 9. 10. 11. *Ephes.* 1. v. 19. 20. 21. 22.

2. *Exaltatio Christi tribus distinctis gradibus absolvitur*: 1. *gloriæ* divinæ in natura humana exaltata *manifestatione*, 2. omnium *infirmitatum*, vel *formæ servilis, totali depositione*, ac pleni incessantisq; dominii in cœlo & in terra usurpatione plenaria, & 3. *summo honore* & cultu soli Deo debito.

Distincti hi gradus passim in scriptura di-
sertè ac distinctim proponuntur. *Primus* Rom. 1.
v. 4. ubi filius Dei declaratus esse dicitur ex re-
surrectione cum potentiâ. *Secundus* Matt. 28. v.
18. Ioh. 17. v. 5. Eph. 1. v. 21. 22. Phil. 2. v. 9. Heb. 1. v. 3.
Tertius ibid. v. 10. 11. Heb. 1. v. 4. 6. c. 2. v. 9.

3. *Ad exaltationem Christi referenda est historia Evangelica post Christi sepulturam usq; ad finem, ut & illa, quam Lucas in actis commemorat.*

Quinq; v. recenseri à Theologis solent *actus*, ad statum *Exaltationis* Christi pertinentes.

I. *Descensus Christi ad inferos*, non *metaphoricus* ille, in passione, morte, & sepultura consistens, adeoq; ad statum Exinanitionis pertinens; sed *realis* ac *proprius*, *quo Christus in infernum descendens, præsentem se Spiritibus ac hominibus damnatis palam ostentavit.* Licet a. in historia Evangelica eius nulla facta sit mentio; siquidem Evangelistæ nec ipsimet intuiti eum erant, nec aliunde relatum certò perceperant: attamen commemoratur à *Paulo* Eph. 4. v. 9. & *Petro* 1. ep. c. 3. v. 19.

II. *Resurrectio à mortuis gloriosa*, facta quippe corpore Christi glorioso, & modo glorioso; ubi à nullo Christus impediri potuit retinaculo, quin omnia ἐν ῥιπῇ ὄμματος potentissimè & subtilissimè penetraret, saxa, ligna, ferrum &c. Matt. 28. Marc. 16. Luc. 24. Joh. 20. v. 19.

III. *Ascensio in cœlum gloriosa* Marc. 16. v. 19. Luc. 24. v. 51. act. 1. v. 9. Eph. 4. v. 9. 10. consistens in translatione corporis Christi de loco inferio-

ri in

ri in locum superiorem; qui tamen non est *terminus ultimus ad Quem*; is n. esse dicitur *supra omnes cœlos* Eph. 4. v. 10. *ipsa* Dei *dextera infinita* Marc.16.v.19.20.act.2.v.33.34.*ac Deus pater* Joh. 10. v. 17.

IV. *Seßio ad dexteram* Dei *gloriosa, quæ nil aliud est, quam exercitium plenarium, plenarii dominii, majestatis & gloriæ, in cœlo & in terra, in medio inimicorum, ac potiß. in Ecclesia* Psal. 110. v. 1. 2. 1. Cor. 15. v. 25. Heb. 1. v. 3. 8. 9. Ap. 7. v. 17. c. 1. v. 13. ss. Matt. 28. v. 20.

V. *Resuscitatio gloriosa omnium mortuorum in extremo die, & universale judicium* Joh. 5. v. 28. 29. Matt. 25. v. 31. ss. ad finem Act. 1. v. 11. c. 10. v. 42. c. 17. v. 31.

IV. DE EXPLICATIONE *Anti-Theseos.*

21. Inter Veteres Hæreticos præsenti doctrinæ capiti bellum indixerunt I. *Eutyches & Eutychiani*, contendendo, humanam Christi naturam, uti in *unione*, ita in *exaltatione* fuisse absorptam à divina: quam vesaniam arripuit ante seculum *Schwenckfeldus*: cùm tamen utrobique naturæ, earumq; propria salva permanserint, citra ullam vel confusionem, vel abolitionem.

II. *Alii* negabant, Christum verè fuisse passum vel exinanitum: quò pertinent *Valentiniani, Marcitæ, Marcionitæ, Manichæi, Saturnini, Basilidiani.*

III. *Alii* geminum ſtatuebant fuiſſe *Chriſtum*; *unum* vocabant IE*ſum*, qui paſſus & mortuus eſſet; alium v. *Chriſtum* impaſſibilem: Huc pertinet *Cerinthus*, *Marcion*, nec non *Colarbas*, *Elceſæitæ & Sampſæi*.

IV. *Alii* ſomniabant, Chriſtum in aſcenſione *corpus elementare depoſuiſſe*, ut *Apelles*, idq; ad corpus ſolare affixiſſe, ut *Manichæi & Hermiani* vel *Seleuciani*.

V. De Hodiernis Hæreſibus circa præſens doctrinæ caput.

22. Ac Primò de hæreſi *Pontificiorum*. I. *Negant* Chriſtum in ſtatu Exinanitionis ſecundum humanam naturam occultaſse Omnipotentiam, & Majeſtatem infinitam: ſiquidem ſtatuitur, eam non habuiſſe *per modum formæ*, uti loquuntur *Ieſuitæ Vilnenſes* in ſuis aſſertionibus ſuper Thomam part. 3. th. 39. nuper divulgatis *menſ. junio* A. 1624. R. 1. Neq; etiam ratio illa habendi *per formæ modum* à nobis ſtatuitur, ſed per modum *unionis & communicationis*, uti ſuprà dictum. 2. Chriſtus vel in media exinanitione non caruit divina majeſtate & omnipotentiâ, quam ſubinde per miracula exerebat.

II. *Negant*, cum *defectibus* connaturalibus *corporis* filium Dei aſſumſiſſe defectus *Animæ*, ibid. th. 39. R. 1. Chriſtum multa in ſtatu exinanitionis

nitionis *ignoraſſe* v. g. diem extremi judicii Marc.13.v.32.2. eum ſapientia & ætate *profeciſſe* Luc.2.v.ult.

III. *Affirmant*, Chriſtum paſſione, & morte ſuâ, *gloriam corporis, & exaltationem nominis ſibi meritum eſſe*. ibid. th. 40. R. 1. Chriſtus non *ſui*, ſed *noſtri* causâ, uti incarnatus & natus: ita quoq; paſſus & mortuus fuit. 2. donatio gratuita excludit omne meritum *Phil*. 2. v. 9. 3. Chriſtus non propter meritum ſuæ mortis, ſed per *unionem* hypoſtaticam *originaliter*, & per *exaltationem conſequenter* evectus eſt ad cœleſtem gloriam.

IV. *Deſcenſum ad inferos* ad ſtatum Exinanitionis quidam referunt, ac Chriſtum *ſecundum animam tantùm* deſcendiſſe ajunt, ut *Bellarm*. l. 4. de Chriſti anim. c. 12.

V. *Cœlum*, in quod Chriſtus aſcendit, *corporeum* eſſe ajunt. vid. *Bellarm*. l. 2. de Incarn. c. 12.

VI. *Dexteram* Dei per *certum locum* definiunt vid. *Greg. de Valent*.

VII. *Seßionem v. ad dexteram* Dei per *beatitudinem electorum* deſcribunt. vid. *Bellarm*. quin quod à dextris ſedere minus honorificum eſſe ait, quam à ſiniſtris *lib*. 3. *de Chriſt*. *c*. 15.

SECUNDO CALVINIANORUM.

23. I. *Calviniani exinanitionem* Chriſti definiunt plerumq; per *incarnationem*, *formam ſervi* per *humanam*

manam naturam, ſed perperam, uti ex ſuprà dictis pateſcit.

II. Chriſtum ſecundum *utramq; naturam* ſtatuunt fuiſſe exaltatum, *Alſted.* Theol. Schol. p. 561. 568. *Martin.* in frontiſpicio libri de Theologia & contra D. *Menzer.* paſſim. *Keckerm.* l. 3. Syſt. Theol. c. 5. p. 36. ubi aſſerit, Chriſtum conſediſſe ad dexteram patris, ratione utriusque naturæ, divinæ vid. & humanæ.

III. *Deſcenſum ad inferos* referunt ad ſtatum Exinanitionis. *Alſted.* p. 553. d. l. & 547.

IV. Chriſtum per aſcenſum ſuum ajunt perveniſſe ad locum *creatum. Martin. Fid. Pſeudocath.* p. 526.

V. *Dexteram* Dei per *certum locum deſcribunt, Martyr. Zving. Bullinger &c.*

Tertio Photinianorum.

24. I. *Duplicem* Chriſti in cœlos aſcenſum fingunt, *unum* in ſtatu Exinanitionis poſt baptiſmi ſuſceptionem per 40. dies; *alterum* poſt reſurrectionem: Aſt nos non niſi *unicum & ſemel* factum credimus.

II. *Deſcenſum ad inferos* modificatè interpretantur cum *Calvinianis.*

III. Poſt reſurrectionem Chriſtum habuiſſe *corpus* non glorificatum, ſed *animale*, uti ante eam, adeoque cibo & potu indigum, nugantur.

IV. Chri-

IV. Christum in ascensione *corpus* suum animale vel elementare *mutasse in spirituale*, carne, ossibus & sanguine destitutum.

V. Christum exaltationem suâ morte & passione sibi promeritum esse fabulantur cum Pontificiis & Calvinianis plerisque. Vide hæc & id genus alia solidè refutata à *Theologis Wittebergensibus*.

QVARTO SCHISMATICOrum quorundam, contendentium:

25. I. Per *Evacuationem* intelligendam esse *occultationem* plenarii usus & exercitii Gloriæ, & Majestatis divinæ, idque solummodo coram hominibus. Quo sensu stante, nulla erit Christi realis evacuatio formæ Dei in conspectu Dei; E. nulla etiam realis exinanitio; E. nec exaltatio.

II. Christum *plenariè, incessanter*, in cœlo & in terra omnia gubernasse, rexisse, sustentasse, secundum humanam quoque naturam suam *in statu Exinanitionis. Contrà, Libellus noster plenariam* quidem majestatis & omnipotentiæ divinæ cum carne communicatæ concedit κτῆσιν vel *possessionem*; sed negat *plenariam* ac *incessantem & universalem* χρῆσιν seu *usurpationem*, eandem restringendo ad *particularem, quando, ubi, quoties & quomodo Christo placuit*.

Sedenti in throno & agno benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum Amen.


Biblioteka Jagiellońska


Biblioteka Jagiellonska
stdr0012641

